

The Gift of
Cornelius C. Felton,
Prof. in Harv. Univ.
(H. U. 1827),
9 December, 1857.

C. D. Wheeler,
from the Author,
March 28th, 1[illegible]

NATALEM TRIGESIMUM QUARTUM

AUGUSTISSIMI ET POTENTISSIMI PRINCIPIS

AC DOMINI

FRIDERICI GUILIELMI

PRINCIPIS ELECTORALIS, CONSORTIS REGIMINIS HASSIAE, MAGNI DUCIS FULDAE, PRINCIPIS HERSFELDIAE REL.

LAETANTI PATRIAE SACRUM

AB

ACADEMIA MARBURGENSI

DIE XX AUGUSTI

ORATIONE

IN AUDITORIO MAIORI HABENDA CELEBRANDUM

INDICIT

CAROLUS FRIDERICUS HERMANN,

PH. D. AA. M. PHILOLOGIAE P. P. O. ET SEMINAR. PHILOL. DIRECTOR, BIBLIOTHECAE ACADEMICAE PRAEFECTUS SECUNDARIUS.

Inest disputatio de persona Niciae apud Aristophanem.

MARBURGI,

TYPIS BAYRHOFFERI ACADEMICIS. MDCCCXXXV.

1857. Dec. 9.
Gift of
Prof. C. C. Felton
of Cambridge.

Quod nuper dixi in fine disputationis de equitibus Atticis, reliquos optimatium, qui tum essent, ipso Aristophane teste, torpore atque ignavia rem publicam destituisse, id nunc in Niciae persona, quem principem illius factionis fuisse constat [1], ulterius persequi in animo est, ut eadem, quae ipsorum solemnium, proludendi quoque continuatio sit, neque minori necessitudinis vinculo commentationum nostrarum argumenta contineantur, quam Augustissimi Principes, quorum quo saepius felicissimorum natalium memoria redit, eo impensius salute atque incolumitate laetari solemus. Nam postquam in illa disputatione poëtae consilium in usurpando equitum choro illustratum est, proximum esse videatur, ut de ceteris quoque personis disseramus, quas Cleoni in illa fabula Aristophanes opposuit; quarum tamen ex numero quum isiciarius ad ipsius tantum Cleonis imaginem deformatus sit ita, ut quaecunque in illo impudentiae, vanitatis, petulantiae dedecora fuerint, eadem omnia in hoc insigniora ac pervicaciora appareant, neque aliud ejus

1) Plut. V. Niciae c. 2: *Περικλέους δ' ἀποθανόντος εὐθὺς εἰς τὸ πρωτεύειν προήχθη, μάλιστα μὲν ὑπὸ τῶν πλουσίων καὶ γνωρίμων, ἀντίταγμα ποιουμένων αὐτὸν πρὸς τὴν Κλέωνος βδελυρίαν καὶ τόλμαν.* Conf. Wachsmuth. hell. Alterth. T. I, P. 2, p. 184—186.

exemplar quaeri poëta voluerit [2]), Demosthenes vero cur actionis in partem veniat causa in promtu sit, morum autem ejus neque in Equitum fabula, si a bibacitate discesseris [3]), neque apud alios scriptores accuratior notatio exstet [4]), unus relinquitur Nicias, cujus licet adventitia [5]) tantum persona videri possit, adeo tamen graphice atque subtiliter ab Aristophane descripta est, ut non magis propter ipsius nominis splendorem quam propter artificium comici diligentiorem explicationem mereat. Quod enim vulgo existimatur, in uno Cleone exagitando Aristophanis pro-

2) Ridiculi erant qui teste scholiasta ad Equ. v. 149 certum aliquem hominem circumspiciebant, quem Aristophanes sub isiciarii persona latere voluisset: *τοῦτον δὲ οἱ μὲν Κλεώνυμον, οἱ δὲ Ὑπέρβολον, οἱ δέ φασιν Εὔβουλον εἶναι*: quos nollem ita imitatus esset Rankius in comm. de vita Aristoph. p. 401, ut de Agoracrito Phidiae discipulo cogitaret! Unice recte Rötscherus Aristoph. und sein Zeitalter p. 176: *Dies hat der Dichter dadurch bewirkt, dass er ein anderes Individuum dem Kleon gegenüber stellt, welches jenen noch an Frechheit überbietet und das wahre Wesen des Demagogen unumwunden ausspricht, so dass Kleon nur sich selber darin anschaut* etc. Nominis rationem ipse poëta reddit v. 1263.

3) Equ. v. 85 sequ. Conf. Lud. de Leutsch in Welckeri Mus. Rhenan. T. II, p. 362 sequ.

4) Quod enim Wachsmuthius l. c. p. 180 et Poppo in prolegg. ad Thucyd. P. I, V. 2, p. 82 sequ. de eo praedicant, ducem fortem fuisse, nunquam dubium animi, impigrum, astutum, omnino praestantissimorum unum, id etsi verissimum sit, tamen ex rebus potius ab eo gestis quam ex ipsis antiquorum judiciis petitum est. Niciae tantum dissimillimum fuisse Plutarchus declarat c. 21: *τὸν δὲ Νικίαν οὐ πολὺν χρόνον εὔφρανεν ἡ παρουσία τῆς δυνάμεως, ἀλλ' ἅμα τῷ πρῶτον ἐν λόγοις γενέσθαι τοῦ Δημοσθένους εὐθὺς ἐπιχειρεῖν τοῖς πολεμίοις κελεύοντος . . . . . δείσας καὶ θαυμάσας τὴν ὀξύτητα καὶ τόλμαν ἐδεῖτο μηδὲν ἀπεγνωσμένως πράττειν κ. τ. λ.* Conf. Thucyd. VII. 42.

5) Sic appellare liceat cum Donato in praef. ad Ter. Andriam, quod Graeci dicunt *προτατικὸν πρόσωπον*, quod semel inductum in principio fabulae in nullis deinceps fabulae partibus adhibetur neque usque ad finem perseverat, ut est in Andria Sosiae, Davi in Phormione, in Hecyra Philotidis atque Syrae. Tamen in horum quoque ingeniis deformandis singulare interdum poëtae artificium cerni ostendere potest Jo. Fr. Roosii disputatio: *Ueber den Charakter des Sosia in der Andria des Terenz*, in Opuscc. academ. Giss. 1790, p. 39 — 92.

positum consistere, id, si argumentum fabulae spectas, utique verum est [6]; quippe huc omnia redeunt, neque quidquam ibi acerbe aut contumeliose dictum inveniri potest, quin aliquo modo ad illius invidiam vel ultionem dirigatur; at ob eam ipsam rem, quum non in unius tantum Cleonis moribus, verum etiam in adversariorum imbecillitate ipsiusque populi stupore causam sibi videre Aristophanes videretur, qua ad tantum potentiae fastigium pestifera illa bellua evecta esset, profecto consentaneum erat eum, quo acrius Cleonem insectaretur, eo graviore nota etiam illos dignos habere, quorum culpa hunc impune grassari et ludibrio habere rem publicam animadverteret. Similis causa Nubium est, quae fabula etsi pariter unum Socratem sophistasque petere videatur, tamen eadem opera parentum quoque pravitatem carpit, qua sola fieri potuerit, ut novorum doctorum perversitas in veteris disciplinae locum succederet; ipsa enim juvenum ingenia ludos impudentiae cavillatorumque argutias deprecatura fuisse, nisi avaritia et cupiditas cum summa rerum omnium ignorantia conjuncta, quae totam civitatem occupaverat, malis artibus spem fecisset praestigiatorumque fraudi viam parasset [7]. Qualem igitur illic Strepsiadem videmus, similem hic Populi ipsius personam posuit, qui externam speciem vanasque pollicitationes sequatur, dumque desideriis suis pro tempore

6) Conf. Rankii comm. cit. p. 396.

7) Vide quae dixi in prooem. ind. lectt. aest. 1833, p. V.

satis fieri videat, nec jus ullum nec vera suorum commoda magnopere curet; quamquam de neutro ita desperavit, ut eum non resipiscere posse arbitraretur, simulatque experimentis doctus caecam desidemque fiduciam deposuisset sanaque mente recepta in libertatem vindicatus esset; in eo ipso autem principes civitatis reprehendit, quod quamvis nefariorum hominum flagitia perosi tamen suae tantum securitati propriisque commodis prospiciant [8]), privatisque lamentationibus contenti neque ultra verba fortes communem salutem deserant nec manum populo ad consurgendum porrigant. Quam illius quoque loci sententiam esse, qui de Archeptolemo Hippodami filio in Equitum fabula exstat (v. 317):

ἢ σὺ πιστεύων ἀμέλγεις τῶν ξένων τοὺς καρπίμους,
πρῶτος ὢν, ὁ δ' Ἱπποδάμου λείβεται θεώμενος,

recentibus doctissimorum virorum disputationibus [9]) abunde declaratum est; Niciae autem exagitandi in illo argumento etiam peculiaris causa erat, si quidem per eum potissimum stetisse

8) In eam sententiam Nicias ipse verba facit apud Thucyd. VI, 9: *νομίζων ὁμοίως ἀγαθὸν πολίτην εἶναι, ὃς ἂν καὶ τοῦ σώματός τι καὶ τῆς οὐσίας προνοῆται*: adde eund. V. 16: *Νικίας μὲν βουλόμενος, ἐν ᾧ ἀπαθὴς ἦν καὶ ἠξιοῦτο, διασώσασθαι τὴν εὐτυχίαν κ. τ. λ.*

9) Conf. Freimundum hoc est M. H. E. Meierum in Philolog. Blättern (Vratislav. 1817) p. 178 — 185, inque primis Leutschium in Mus. cit. p. 353 — 358, cujus accuratissimae expositioni quod addam nihil habeo nisi paulo aptiorem explicationem verbi *λείβεται*, cui contabescendi significationem, adhibito Pind. Pyth. XII. 10, minus opinor commode tribuit: idem esse quod *μαλθακίζεται* clare ostendit locus Platonis in republ. III, p. 411 b: *τὸ μετὰ τοῦτο ἤδη τήκει καὶ λείβει ἕως ἂν ἐκτήξῃ τὸν θυμὸν, καὶ ἐκτέμῃ ὥςπερ νεῦρα ἐκ τῆς ψυχῆς, καὶ ποιήσῃ μαλθακὸν αἰχμητήν.*

videbatur, ne Cleo potentiam in re publica insuper etiam militari gloria cumularet; quod si omnium maxime Aristophanem momordit, quum Cleonem propter victoriam de Lacedaemoniis reportatam summa quaeque in civitate adeptum esse videret [10]), omnium minime Niciae parcere poterat, quem ipsum legimus Cleonis causa imperio se abdicasse ejusque ad exercitum mittendi potissimum auctorem fuisse [11]). Quamvis enim consulto illud fecerat, ut sua ipse jactantia irretitus adversarius aut suscipiendo negotio viribus suis majori ridiculus fieret, aut turpi deprecatione in contemtum plebis veniret, nihilo minus, quum praeter exspectationem bene illi res processisset, merito exprobrari Niciae poterat, parum eum provide in communi causa egisse, dumque nimis caute sibi ipsi prospexerit, ancipiti ac temerario consilio exoptatissimam laudis parandae occasionem inimicissimo homini prodidisse [12]); neque obscura suspicio fuisse videtur, libenter eum deponendi imperii opportunitatem arripuisse, vel Lacedaemoniorum studio ductum, quibus tanto damno illato vix amplius amicum se esse posse speraverit [13]), vel omnino ut belli

---

10) Equ. v. 709: *ἀπολῶ σε νὴ τὴν προεδρίαν τὴν ἐκ Πύλου*: adde v. 283: *οὗ Περικλέης οὐκ ἠξιώθη πώποτε*, et v. 476 sequ. nec non v. 779.

11) Thucyd. IV. 28. Plut. V. Niciae c. 7.

12) Plut. ibid. c. 8: *ἀλλ' αἴσχιόν τι καὶ χεῖρον ἐδόκει τὸ δειλίᾳ τὴν στρατηγίαν ἀποβαλεῖν ἑκουσίως καὶ προέσθαι τῷ ἐχθρῷ τηλικούτου κατορθώματος ἀφορμὰς, αὐτὸν ἀποχειροτονήσαντα τῆς ἀρχῆς.*

13) Plut. V. Alcibiad. c. 14: *καὶ τὸν Νικίαν ἐθορύβει καὶ διέβαλλεν εἰκότα κατηγορῶν, ὅτι τοὺς ἐν Σφακτηρίᾳ τῶν πολεμίων ἀπολειφθέντας αὐτὸς μὲν οὐκ ἠθέλησεν ἐξελεῖν στρατηγῶν, ἑτέρων δ' ἐξελόντων ἀφῆκε καὶ ἀπέδωκε χαριζόμενος Λακεδαιμονίοις.*

gerendi discrimen evitaret [14]), qua in re tanta ejus anxietas ac tergiversatio fuit, ut vel iisdem corruptionis artibus, quibus alii honores peterent, ad eos deprecandos usus esse tradatur. Hanc certe in sententiam Plutarchus Aristophanis versus servavit ex *Γεωργοῖς*, quae fabula non multo post Equites tempore acta est [15]):

— δίδωμι χιλίας δραχμάς,
ἐάν με τῶν ἀρχῶν ἀφῆτε — δεχόμεθα,
δισχίλιαι γάρ εἰσι σὺν ταῖς Νικίου:

quos etsi ad Cleonis causam non magis recte retulisse videatur quam Avium locum, qui ad Siciliensem potius expeditionem spectat (v. 637):

καὶ μὴν μὰ τὸν Δἰ οὐχὶ νυστάζειν ἔτι
ὥρα᾽στιν ἡμᾶς οὐδὲ μελλονικιᾶν,

---

14) Plut. V. Niciae c. 6: *τὰς μὲν ἐργώδεις πανὺ καὶ μακρὰς ἐπειρᾶτο διακρούεσθαι στρατηγίας.* Adde Thucyd. V. 16: *Νικίας μὲν βουλόμενος . . . . καταλιπεῖν ὄνομα, ὡς οὐδὲν σφήλας τὴν πόλιν διεγένετο, νομίζων ἐκ τοῦ ἀκινδύνου τοῦτο ξυμβαίνειν καὶ ὅστις ἐλάχιστα τύχῃ αὐτὸν παραδίδωσι.*

15) Conf. Ullrichii quaestt. Aristoph. spec. I, p. 31, qui tamen in ipso fragmento explicando, dum multam mille drachmarum Niciae irrogatam esse credit, diversissima miscuit jurisque Attici rationes mirum quantum conturbavit. Quod enim lege de proëdris apud Demosth. adv. Timocr. p. 706 utitur, longe alia ratio est senatoris, cui neque *εὐθύνη* neque *ἐπιχειριτονία* subeunda erat, alia magistratus, qui si quid peccasset, totus a judicum arbitrio pendebat neque certam poenam praestitutam habebat (conf. Meier u. Schöm. att. Procefs p. 189); quod si Nicias ob detrectatam expeditionem in judicium vocari potuisset, profecto multo graviorem poenam passus esset; at neque lex apparet, qua id fieri potuisset, neque causa, cur, quod populi consensu approbatum esset, ad judicum existimationem veniret, neque opinor Niciae ingenio consentaneum foret, alterius discriminis vitandi causa alterum domi incurrisse! Veri similior conjectura est Niciam vel oratorem vel prytanem corrupisse, ne ipsius in *χειροτονίᾳ* ratio haberetur; quamquam in ejusmodi quaestione facilius quid falsum sit quam quid verum existimari potest.

in universum tamen eandem ingenii cunctabundi atque ignavi notationem agnoscimus, quae in Equitibus quoque conspicua est, tantumque abest ut Plutarchi errore aliquid horum testimoniorum auctoritati detrahatur, ut etiam constitisse judicio suo Aristophanem inde appareat, nec temporaria tantum offensione in Niciam concitatum esse, sed quamvis diversis temporibus idem de eo existimasse, quod aliorum quoque scriptorum censuris abunde confirmatur [16]. Neque alterum Avium locum, qui est de Niciae artibus (v. 361):

ὑπερακοντίζεις σύ γ' ἤδη Νικίαν ταῖς μηχαναῖς,

aliam explicationem recipere arbitror; quem qui in laudem ejus imperatoriam trahunt, ut dexteritatem in machinis bellicis adhibendis poëta significaverit, vereor ne frustra in historia sententiae suae documenta quaerant [17]; immo, si quid video, ibi quoque circumspectio hominis ac mala sollertia notatur, qua, si quando periculum subeundum armisque decertandum esset, ita se ab omni parte tutabatur, ut magis adversum casum metuere quam

16) Plut. V. Nic. c. 21: *ἀτολμίας παρέσχε τοῖς στρατηγοῖς δόξαν, καὶ ταῦτ' ἐκεῖνα πάλιν ἥκειν φάσκοντες αὐτοῦ μελλήματα καὶ διατριβὰς καὶ ἀκριβολογίας . . . . τῷ Δημοσθένει προσετίθεντο.* Alia vide apud eundem c. 14 — 16 et Poppon. prolegg. Thucyd. l. c. p. 82 sequ.

17) Semel in transcursu Thucydides III. 51, quo Berglerus utitur: *ἑλὼν οὖν ἀπὸ τῆς Νισαίας πρῶτον δύο πύργω προέχοντε μηχαναῖς ἐκ θαλάσσης*: quod autem addit Beckius, etiam in obsidione Meli adhibitas machinas bellicas eum nobilitasse, nec scholiastae verbis respondet: *φρονιμώτατα γὰρ λιμῷ τοὺς Μηλίους ἀνεῖλεν*, nedum historiae, quae in prima tantum Meli aggressione (Thuc. III. 91; Diodor. XII. 65), non in extrema expugnatione ducem fuisse Niciam tradit. Omnino exiguum etiam tum fuisse machinarum usum monui ad Lucian. de hist. conscr. p. 338.

secundum sperare videretur, quoque diutius felicis imperatoris famam servaverat, eo magis sibi a fortunae vicissitudine cavebat [18]. Non ignoro equidem, sagacissimo nostra memoria Aristophanis interpreti, Suevernio, aliter de hac quaestione statuendum visum esse [19]), qui licet in Equitum fabula et ipse concedat haud sane honorificas Niciae partes esse, mox tamen arbitratur illum aliis rebus egregie gestis ignominiam in Sphacteriae casu acceptam adeo reparasse atque compensasse, ut Aristophanes in alia fabula, quae *Γῆρας* inscribebatur, eundem tamquam optimum civem ac spem populi proposuerit ejusque persona in simili pristinae viriditatis restauratione usus sit, qualem in Equitibus Agoracriti opera fieri videmus [20]); at quibus argumentis hanc opinionem probare conatus est, haud scio an artificiosius ad aliquam veri speciem composita quam exacto et prudenti judicio ponderata sint. Quod enim ad aliorum comicorum testimonia provocat, quae apud Plutarchum in vita Niciae c. 4 leguntur, primum quidem Phrynichi locus protinus eam sententiam prae se fert, quam nos Aristophanis fuisse existimamus, dum nescio quem virum fortem ac strenuum Niciae opponit:

---

18) Conf. Plut. V. Nic. c. 6: *ὅπου δ' αὐτὸς στρατεύοιτο, τῆς ἀσφαλείας ἐχόμενος, καὶ τὰ πλεῖστα κατορθῶν*, et c. 2: *τῇ φύσει γὰρ ὢν ἀθαρσὴς, καὶ δύσελπις ἐν μὲν τοῖς πολεμικοῖς ἀπέκρυπτεν εὐτυχίᾳ τὴν δειλίαν*, quodque ei Hermocratem exprobrasse idem refert c. 16: *ὅτι γελοῖός ἐστιν ὁ Νικίας, ὅπως οὐ μαχεῖται στρατηγῶν.* Thucydidis verba V, 16 jam superius attulimus not. 14).

19) Ueber Aristophanes Drama benannt das Alter, Berlin 1827. 4; imprimis p. 26 sequ.

20) Ibidem p. 28; adde ejusdem disp. de Avibus in comm. Acad. Berolin. a. 1827, p. 68.

ἦν γὰρ πολίτης ἀγαθὸς, ὡς εὖ οἶδ' ἐγω,
κοὐχ ὑποταγεὶς ἐβάδιζεν ὥςπερ Νικίας:

Eupolidis autem versus, qui duorum hemichoriorum, ut videtur, altercationem continent, non magis in laudem quam in vituperationem hominis adhiberi possunt, quum eodem partium studio alteri eum defendant, quo alteri Hyperbolo, si Plutarchum sequimur, auctore eum impugnant; ita enim eos versus praeeunte Schaefero distribuendos censeo:

'ΥΠ. Ἀνὴρ ὁμολογεῖ Νικίαν ἑωρακέναι·
καίτοι τί μαθὼν ἂν εἶδεν, εἰ μὴ προὐδίδου;
'ΗΜΙΧ. α. Ἠκούσατ' ὦ συνήλικες,
ἐπ' αὐτοφώρῳ Νικίαν εἰλημμένον;
'ΗΜΙΧ. β. Ὑμεῖς γὰρ, ὦ φρενοβλαβεῖς,
λάβοιτ' ἂν ἄνδρ' ἄριστον ἐν κακῷ τινι;

utque concedam posterius judicium ipsius poëtae fuisse, qua de re in loco extra continuitatem orationis exstante difficilis existimatio est, tamen non major ea laus erit, quam in tertio fragmento Teleclidis, quo ipso Aristophanis judicium multo magis confirmatur quam refellitur:

τέσσαρας δὲ μνᾶς ἔδωκε Νικίας Νικηράτου·
ὧν δ' ἕκατι ταῦτ' ἔδωκε, καίπερ εὖ εἰδὼς ἐγὼ
οὐκ ἐρῶ· φίλος γὰρ ἀνὴρ, σωφρονεῖν δέ μοι δοκεῖ.

Bonum enim virum fuisse Niciam neque ego nego, neque Aristophanes, opinor, unquam negasset; at vero ad principem in

civitate locum retinendum nefariorumque hominum conamina reprimenda, ut tunc tempora erant, sola probitas morumque integritas neutiquam sufficiebat. Quae nisi cum animo strenuo promtoque ad agendum conjuncta erat, ignaviae quam virtuti propior plus damni rei publicae quam commodi afferebat, unde Aristophanes in nostra quoque fabula (v. 334):

νῦν δεῖξον ὡς οὐδὲν λέγει τὸ σωφρόνως τραφῆναι,

ut liquido intelligamus *σωφροσύνης* laudem ex illius sententia non procul ab imbecillitate et desidia abfuisse [21]); neque aliud Niciae ingenium apud ipsum Teleclidem invenimus, qui si sycophantarum calumnias pecunia danda compescebat, profecto Critonis, qui apud Xenophontem [22]) est, similior erat quam Agoracriti Aristophanei, cui eum Suevernius, ut diximus, in fabula quae *Γῆρας* inscribebatur assimilatum fuisse conjecit. Magna, fateor, est illius disputationis dexteritas, magnum acumen, mira in conquirendis nectendisque argumentis sollertia, quae mihi ipsi olim assensum extorsit [23]); attamen libenter amplector hanc occasionem ad testificandum, re iterum examinata omnibusque inter se compositis subtilius quam verius illic disputasse Suever-

---

21) In eandem sententiam conf. quae disputat Plato in Polit. p. 307 — 310 et de re publ. III, p. 411, unde jam superius (not. 9) nonnulla adscripsimus.

22) In mem. Socr. II. 9; conf. et Sympos. IV, 30 atque omnino descriptionem viri boni, qualem hic dicimus, apud Plat. de re publ. VIII, p. 549 c: *ἐν πόλει οἰκοῦντος οὐκ εὖ πολιτευομένῃ, φεύγοντος τάς τε τιμὰς καὶ ἀρχὰς καὶ δίκας καὶ τὴν τοιαύτην πᾶσαν φιλοπραγμοσύνην, καὶ ἐθέλοντος ἐλαττοῦσθαι, ὥςτε πράγματα μὴ ἔχειν.*

23) Vid. Heidelb. Jahrbb. 1829, p. 1214 sequ.

nium mihi videri. Quid enim quod non modo nomen Niciae, sed ne notatio quidem ulla in omnibus quotquot habemus illius fabulae reliquiis exstat, quam aliquo jure ad illum trahere liceat? Suevernius ipse unum tantum, quod eo referret, fragmentum indagare potuit apud Pollucem [24]), ubi nescio quis senex ita loquitur:

ὀφθαλμιάσας πέρυσιν εἶτ' ἔσχον κακῶς,
ἔπειθ' ὑπαλειψάμενος παρ' ἰάτρῳ —

quem senem quasi populi verbis de rei publicae lippitudine queri putat, hanc autem qui ungendo sustulerit medicum neminem nisi Niciam esse posse ait, eique fundamento totam opinionem suam de mutato in Niciam Aristophanis animo imposuit! At quaeso unde novit comicum illum senem curationem apud medicum invenisse? quem ipse intellexit malum etiam in deterius vertere potuisse; utque omittam ne medici quidem commemorationem in illo fragmento certam esse [25]), quum ea vocabula etiam ad Pollucis orationem sequentem trahi possint: *παρ' ἰάτρῳ εἰπεῖν δὲ καὶ τὸ πῦον κ. τ. λ.* [26]), certe de allegorico lippitudinis illius sensu nihil video quod nos dubitare vetet. Omnino enim

---

24) Onom. IV. 180.

25) Quamquam moribus veterum omnino convenit; cf. Jacobs. lectt. Venusinas in verm. Schr. T. V, p. 309.

26) De partic. δὲ tertio vel quarto loco posita conf. Schaef. ad Demosth. T. II, p. 484; Stallb. ad Plat. Phileb. p. 90; Fritzsch. quaestt. Luc. p. 100; Jac. ad Luc. Tox. p. 115; Krabinger ad Synes. de regno p. 146; Blum. ad Lycurg. p. 65; Bornem. ad Xenoph. mem. I. 2, 24 etc.

ad rem publicam quod pertineat inter reliqua fragmenta nullum est: quo ne Eucratis mentionem trahamus, qui apri Melitensis nomine in illa fabula occurrisse dicitur [27]), recogitandum est illum hominem tum jam diu a Cleone deturbatum ad privata negotia gerenda recessisse videri [28]); quod si quid illa cum ipso fabulae argumento commune habuit, id in eodem potius cerni arbitror, quod Philocleoni in Vespis exprobratur, postquam abjecta tristitia et morositate senili juvenile ingenium affectare helluandoque et lasciviendo cum adolescentibus certare coepit (v. 1350):

ἔοικας, ὦ πρεσβῦτα, νεοπλούτῳ τρυγὶ,
κλητῆρί τ' εἰς ἀχυρῶνας ἀποδεδρακότι.

Quamvis enim jam scholiastae ignoraverint, quis ille fuerit, cui ibi Philocleo assimiletur, tamen haud inepta conjectura erit ipsum Eucratem respici, qui quum sycophanta fuisset, facile per con-

27) Phot. in lex. p. 256 Pors.: *Μελιτέα κάπρον Ἀριστοφάνης ἐν Γήραι λέγει ἀντὶ τοῦ Εὐκράτης, ἐπεὶ δασύς ἐστιν· καὶ γὰρ ἄρκτον αὐτὸν ἔλεγον· ἢ ὅτι μυλῶνας εἶχεν, ἐν οἷς ἐτρέφοντο σῦς*: id quod Plautinus locus illustrabit in Captiv. IV. 2, 27:

Tum pistores scrophipasci, qui alunt furfuri sues,
Quarum odore praeterire nemo pistrinum potest etc.

nec dubito quin eundem spectet fragmentum incertae fabulae apud Eustath. p. 1535 (n. 536 Dind.):

— φελλόν ἐστι καὶ καλεῖ
τὴν ἄρκτον ἄρτον κ. τ. λ.

cujus balbutiei certe non minus acumen est quam illius in Vespis v. 44. Alia vide apud Rankium de Aristoph. vita p. 334 sq.

28) Equ. v. 129 sequ.; conf. Fritzschium de Aristoph. Babyloniis p. 39, qui tamen haud scio an perperam, Suidam auctorem secutus, etiam Lysistratae locum v. 103 ad eundem hunc Eucratem retulerit, ut postea rursus imperatorio munere functus sit; scholiasta certe ea quae inseruit Suidas: *ὁ καλούμενος Στύππαξ*, non agnoscit, neque mirum foret Suidam duos homines cognomines inter se confudisse. Eucrates Niciae frater commemoratur apud Andoc. de myster. §. 46.

temtum *κλητὴρ* appellari poterat, pariter ut de Cleone Aristophanes loquitur [29]):

κἄν τιν' αὐτῶν γνῷς ἀπράγμον' ὄντα καὶ κεχηνότα,
καταγαγὼν ἐκ Χεῤῥονήσου διαλαβὼν ἠγκυρίσας:

quod autem in palearia aufugisse dicitur, nihil aliud, opinor, significat quam quod in Equitibus legimus (v. 254):

εὐλαβοῦ δὲ μὴ κφύγῃ σε· καὶ γὰρ οἶδε τὰς ὅδους,
ἅςπερ Εὐκράτης ἔφευγεν εὐθὺ τῶν κυρηβίων [30]),

unde colligimus eum opes ex potentiae suae naufragio servatas ad rem molendariam contulisse vitaeque quod reliquum esset in affluentia et deliciis transegisse. Huic igitur ut Philocleo comparabatur senex praeter aetatem elegans et libidinosus, ita facile etiam locus esse poterat in illa fabula, cujus reliquiae pleraeque omnes ad frivolas voluptates lasciviamque procacem spectant, ut haud sciam an totius fabulae summa in perversis senum moribus describendis posita fuerit, qui dum senectutem deponere petulantiamque juvenilem aequare cuperent, ridiculi facti debitas poenas aetatis suae genio dederint. Senectutis utique vel inscriptio arguit ut Pluti in cognomine fabula aliquas partes fuisse, cui etiam alibi Aristophanes locum inter coelites assignavit [31]); hanc autem exstitisse qui abjicere conarentur po-

---

29) Equ. 261; conf. *κλητὴρ νησιωτικὸς* in Avibus v. 1422 sequ.

30) Scholiasta: *κυρήβια δέ εἰσι τὰ πίτυρα καὶ ἄχυρα τῶν πυρῶν καὶ κριθῶν· μυλῶνας δὲ ἔχων ὁ Εὐκράτης εἰκότως εἶχε καὶ κυρήβια·.*

31) In Avibus v. 605: *πῶς δ' εἰς γῆρας ποτ' ἀφίξονται; καὶ γὰρ τοῦτ' ἔστ' ἐν Ὀλύμπῳ.*

tius quam re vera abjicerent, apparet ex fragmento apud Athenaeum [32]) servato, quod quum in ipso disputationis suae limine Suevernius collocaret, prorsus neglexit, non *ἀποβαλόντων*, ut Schweighaeuserus ediderat, sed *ἀποβαλλόντων* in codicibus legi, ut minime certum sit, unde tota illius sententia pendet, senibus illis conamina sua successisse. Fragmenta certe nihil ostendunt nisi omnia elegantiae ac nequitiarum genera tentata esse, quibus illud etiam addi potest, quod felicissima Fritzschii conjectura huic fabulae restituit [33]):

βακτηρία δὲ Περσὶς ἀντὶ καμπύλης,

ut cultum quoque agrestem et horridum delicato et adscititio mutatum esse intelligamus [34]); at haec ipsa, opinor, non ea commutatio erat, quam in Equitum fine Aristophanes commendat, ut ad pristinum nitorem populus rediret, sed perversa illa aetatum morumque omnium confusio, quae Strepsiadem quoque perdidit, quamque si peculiari fabula Aristophanes persequebatur, fecit profecto quod se suisque partibus in civitate dignissimum erat. Tantum igitur abest, ut cum Suevernio senes illos in juvenilem aetatem restitutos puellas in matrimonium duxisse credam,

32) Athen. III, 74; p. 109 f: *ποιεῖ δὲ λέγουσαν ἀρτόπωλιν διηρπασμένων αὐτῆς τῶν ἄρτων ὑπὸ τῶν τὸ γῆρας ἀποβαλλόντων κ. τ. λ.* Verbum *ἀποβάλλειν* de personis usurpat v. c. Plato de re publ. V, p. 474 e: *ὥςτε μηδένα ἀποβάλλειν τῶν ἀνθούντων ἐν ὥρᾳ.*

33) Poll. onom. X. 173; conf. Fritzschii emendatt. in Aristoph. fragmm. ante ind. lectt. Rostoch. hib. 1832, p. 4.

34) Etymol. M. p. 185 extr. Sylb.: *βακτηρία, ἣν ἐκάλουν ὀρθήν· ἐχρῶντο δὲ αὐτῇ οἱ ἐν περιουσίᾳ . . . τῇ δὲ καμπύλῃ οἱ ἄγροικοι:* conf. Casaub. ad Theophr. charact. 5, p. 76 Fisch.

ut quaecunque illuc spectare videntur in ludibrium potius decrepitorum amatorum dici existimem, qui ubi puellam aliquam tentent, responsum ferant illam vel nupsisse vel propediem nupturam esse [35]; neque dubito quin eodem pertineat fragmentum, quod sine fabulae nomine ex Aristophane Clemens Alexandrinus laudat [36]:

αἰσχρὸν νέᾳ γυναικὶ πρεσβύτης ἀνήρ:

ne enim comicum censeamus cum Euripide tragico confundi, cujus eadem fere sententia ex Phoenice exstat, multa ex tragicis in Aristophanis fabulas transiisse notum est [37]. Sed nimis diu jam de aliena fabula hariolamur, unde si quid certi ad nostrum usum redundat, illud est, ut Niciae nullas ibi partes fuisse constare videatur; argumentum etiam si in tanta reliquiarum raritate recte indagare mihi contigerit, ita tantum ad nostram

---

35) Alterum horum fragmentorum, quod apud Priscianum XVIII, 23, §. 246 satis corruptum exstat, probabiliter olim in Heidelb. Jahrbb. l. c. ita correxisse videor:

A. σὺ δ' οὐκ ἐγήμω; B. νὴ Δί' ὀλίγας ἡμέρας,

ut explicationem tantum ex Süvernii sententia ibi propositam nunc retractem, nisi fortasse *οὖν* pro *οὐκ* ponere praestet; alterum, quod apud schol. Nicandri theriac. v. 295 legitur, ita restituendum videtur: *καὶ Ἀριστοφάνης ἐν τῷ Γήρᾳ γυναῖκα ποιήσας ἐπὶ ζεύγους ὄνων ὀχουμένην παράγει τινὰ ἐρῶντα αὐτῆς, ἣ καὶ ἐρεθίζουσά φησι πρὸς αὐτόν·*

— ἀποπλευστέ' ἐπὶ τὸν νυμφίον,
ᾧ γαμοῦμαι τήμερον —

ut numeri non glyconei sint, ut Dindorfio visum est, sed trochaici. Süvernius quantum in priori explicando erraverit p. 26 sequ., tacere praestat; in altero *τὸν ἐρῶντα* eundem quem *νυμφίον* habere cogebatur, quo nihil arbitror frigidius excogitari potuisse.

36) Stromatt. VI, p. 745; apud Dindorfium n. 497.

37) Cf. Fr. Ritter de Aristoph. Pluto p. 29 sequ. Schol. Plat. Clark. p. 330 Bekk.: *Ἀριστοφάνης ὁ κωμῳδιοποιὸς . . . ἐκωμῳδεῖτο ἐπὶ τῷ σκώπτειν μὲν Εὐριπίδην, μιμεῖσθαι δ' αὐτόν.*

disputationem aliquid conferet, ut novo exemplo intelligamus Aristophanem neutiquam caeco partium studio ductum in uno tantum hominum genere reprehendendo substitisse, sed quascunque corruptionis atque imbecillitatis publicae causas animadvertisset, multa cum libertate notasse, quod ipsum in Niciae quoque persona ostendere constitueram; quae tamen utut sint, satis habeo nihil exstare, unde appareat poëtam unquam ab ea ingenii illius descriptione recessisse, quam in Equitum fabula propositam jam accuratius contemplabimur.

Quo in loco praemonendum est sane nomen Niciae, si ab uno loco discesseris, qui ad actionem ejusque personas omnino non pertineat [38], in tota fabula non magis apparere quam Demosthenis aut Cleonis, fortasse quia liberorum hominum nomina servili conditioni, qua illos induit, minus convenissent [39]; attamen mores ejus etiam sub aliena persona non minus insignes sunt quam illorum, ac licet in prologo multo accuratius quam in sequentibus scenis servilis habitus domesticarumque querelarum species servata sit [40], neminem unquam fuisse arbitror, quin vel super-

---

38) Equ. v. 358: *λαρυγγιῶ τοὺς ῥήτορας καὶ Νικίαν ταράξω*, cui ne tantum quidem ponderis tribuerim, quantum Plutarchus fecit in V. Niciae c. 4.

39) Ab interpretibus tantum traditum narrat argumenti scriptor: *λέγουσι δὲ τῶν οἰκετῶν τὸν μὲν εἶναι Δημοσθένην, τὸν δὲ Νικίαν, ἵν' ὦσι δημηγόροι οἱ δύο.* Conf. Rankius de vita Aristoph. p. 399.

40) Unum tantum verbum est in prologo atque ipsa Demosthenis narratione, quod ut nunc scribitur huic rationi non constet lectoremque non tecta aliqua significatione et ambiguitate scite composita, sed ipsa voce ab allegoria ad interiorem sensum traducere videatur, Pyli dico comme-

stitionem hominis vel ignavam in periculis subeundis trepidationem vel pronum ad fugam animum ipsam Niciae imaginem referre intellexerit. Et statim quidem initio, quod Demostheni suadet ut ad hostes transfugiant, quamvis et ipsum scitissime ad servilem personam accommodatum sit, quum constet in bello Peloponnesiaco plurimos servos ultro citroque transfugiendi occasiones observasse[41]), facile tamen apparet interiorem loci sensum eum esse, ut Laconismus Niciae atque anceps inter patriam hostesque ingenium notetur; neque aliud significare arbitror, quod paulo inferius eidem Themistoclis mors omnium maxime exoptanda esse videtur (v. 83):

βέλτιστον ἡμῖν αἷμα ταύρειον πιεῖν,
ὁ Θεμιστοκλέους γὰρ θάνατος αἱρετώτερος.

Hujus enim etsi merita in rem publicam Atheniensium justis laudibus in hac ipsa fabula v. 821 sequ. Aristophanes effert, tamen mortis genus non nisi transfugae appellare poterat; Niciam autem si quis immerito hac comparatione notari censeat, recogitandum est eum ita se adversus Lacedaemonios gessisse, ut suspicioni certe locum daret, se Themistoclis exemplo, si quid

---

morationem in v. 55, cujus ea in libris forma est, ut medius inter allegoriam et rei veritatem haereat:

μᾶζαν μεμαχότος ἐν Πύλῳ Λακωνικὴν:

at ibi quoque haud scio an restituendum sit *πυέλῳ*, i. e. alveo, qui pinsendae massae egregie conveniat, soni vero similitudine non magis a *Πύλῳ* recedat, quam *μᾶζαν μεμαχότος* ab eo quod subtus latet *μάχην μεμαχημένου*: sic et infra v. 1065, ubi Cleo dixit: *ἔστι Πύλος πρὸ Πύλοιο*, detorquens isiciarius excipit: *τὰς πυέλους φησὶν καταλήψεσθ' ἐν βαλανείῳ.*

41) Cf. Brunck. ad Nubb. v. 7.

domi mutata populi voluntate adversi accidisset, refugium sibi apud ipsos patriae hostes parare velle [42]). Sed ne praepostere agamus, restant etiam in priori loco aliae ejusdem ingenii notae, quas minime praeteriri oporteat, praesertim ubi rectius quam vulgo fieri solet versus disponuntur, quod quum aliis in locis felicissimo successu ab editoribus factum sit [43]), profecto mirum est neminem adhuc eandem huic medelam adhibuisse. Nam ut ab eo proficiscamur, quod pro concesso sumere liceat, totius loci artificium in eo cernitur, ut Nicias consilium illud turpe atque ignavum, quod tamen propter eandem ignaviam ipse proferre non audeat, per ridiculas ambages Demostheni particulatim quasi instillet, Euripideisque argutiis efficiat, ut vocem ipsam quo tendat *αὐτομολῶμεν* alter eloquatur, sibi idem quod Phaedrae tragicae diverticulum maneat: *σοῦ τάδ' οὐκ ἐμοῦ κλύεις* [44]); id quod et sequentia docent et ipse declarat his verbis (v. 17):

ἀλλ' οὐκ ἔνι μοι τὸ θρέττε· πῶς ἂν οὖν ποτε
εἴποιμ' ἂν αὐτὸ δῆτα κομψευριπικῶς;

Horum enim ratio satis constare videtur; ubi quod sibi animum

42) Unde etiam Thuc. VII. 86: *τοὺς γὰρ ἐκ τῆς νήσου ἄνδρας τῶν Λακεδαιμονίων ὁ Νικίας προὐθυμήθη σπονδὰς πείσας τοὺς Ἀθηναίους ποιήσασθαι ὥςτε ἀφεθῆναι· ἀνθ' ὧν οἵ τε Λακεδαιμόνιοι ἦσαν αὐτῷ προςφιλεῖς, κἀκεῖνος οὐχ ἥκιστα πιστεύσας ἑαυτὸν τῷ Γυλίππῳ παραδίδωσι*: neque Atheniensium judicium negligendum, quod de Nicia post mortem tulerunt teste Philisto apud Pausan. I, 29. 9: *τούτων εἵνεκα οὐκ ἐνεγράφη Νικίας τῇ στήλῃ, καταγνωσθεὶς αἰχμάλωτος ἐθελοντὴς εἶναι, ἀλλ' οὐκ ἀνὴρ πολέμῳ πρέπων.*

43) Cf. v. 361. 402. 403. 440. 441. 446 — 455. 732 — 737. 908. 976. 977. 1047. 1166. 1169. 1170.

44) Valcken. ad Eur. Hippolyt. v. 352.

deesse ait [45]), ad ipsam illam morum ejus notationem pertinet, in qua quum maxime versamur, quod autem quaerit, quomodo *κομψευριπικῶς* dicere possit, jam interpretes abunde monuerunt ad solemnem illam cavillationem pertinere, qua Euripidis affectatam elegantiam et sophisticam dicendi rationem ubique Aristophanes persequitur [46]); neque minus recte intellexerunt eodem spectare Demosthenis responsum (v. 19):

μή μοί γε, μή μοι, μή διασκανδικίσῃς,

quod scite Schützius vertit: ***apage mihi istos lepores Euripideos, scandicem olent, noli mihi hanc obtrudere***; at quaeso quomodo qui haec egregie perspexit non simul etiam vidit ineptum fore si Demosthenes argutias Euripideas deprecetur, postquam paulo ante ipse versu Euripideo usus fuerit (v. 16):

πῶς ἂν σύ μοι λέξειας ἅ᾽μὲ χρὴ λέγειν?

Quae verba nisi nossemus ex Hippolyto Euripidis v. 345 repetita esse, fortasse etiam alio sensu interpretari liceat, ut Demosthe-

---

45) Scholiasta: *τὸ θρέττε ἀντὶ τοῦ τὸ θαρσαλέον*, iterumque: *θρέττε βαρβαριστὶ ἀντὶ τοῦ θαῤῥεῖν*, unde tamen quod Casaubonus collegit de confidentia barbara, qualis in Cleone fuerit, prorsus absonum est; rectius utique scholiasta: *βαρβαρίζει δὲ ὡς δοῦλος.*

46) Neque enim dubitari potest, quin Euripidis nomen in ea forma lateat, licet *κομψευριπιδικῶς* legi metrum vetet adeoque consulto sic scripsisse Aristophanes videatur, ut simul id quod est *κομψὸν εὕρημα* auditoribus succurreret. At ipsum illud syncopes genus Graecis minime inauditum erat, cujus exempla dederunt Welckerus in sylloge epigr. p. 6 et Lobeck. ad Phrynich. p. 670. Pariter *λακκαταπύγων* dictum videtur pro *λακκοκαταπύγων* in Acharn. v. 671, prorsus ut *γνωμιδιώκτης* pro *γνωμιδιοδιώκτης* apud Cratinum, cf. Seidler. de Aristoph. fragmm. p. 25; item *ἠλίβατος* pro *ἠλιτόβατος* secundum Buttmannum in Lexilogo T. II, p. 182, *τέτραχμον* pro *τετράδραχμον* etc.

nes cum indignatione quaerat, quomodo alter sibi arrogare possit, ut sibi dicat quemadmodum ipsi dicendum sit, neque aliter accepisse videntur vetusti illi librarii, qui eum versum et Demostheni tribuerunt et ante Niciae orationem collocarunt ita, ut antecedentibus potius verbis ἀλλ' εἰπὲ ϑαῤῥῶν κ. τ. λ. respondere videatur; verum longe alium sensum esse ex Euripide constat, ubi haec ipsa Phaedrae verba sunt cogitantis, quibus artibus nutricem dicere cogat ea quae illam a se potius audire oporteat; quod si recte supra simile Niciae consilium aperuimus, nihil, opinor, dubitationis esse potest, quin is ipse versus, in quo summa et caput ejus consilii contineatur, non modo Niciae tribuendus, sed etiam post ejus verba quae modo attulimus inserendus sit ita:

ἀλλ' οὐκ ἔνι μοι τὸ ϑρέττε· πῶς ἂν οὖν ποτε
εἴποιμ' ἂν αὐτὸ δῆτα κομψευριπικῶς;
πῶς ἂν σύ μοι λέξειας ἅ'μὲ χρὴ λέγειν;

quo facto etiam Demosthenis deprecatio multo aptior erit, quia ipsius jam Euripidis verbis loqui Nicias inceperat. Hac autem dispositione probata continuo sequitur ut antecdentium quoque versuum personae prorsus mutandae sint; quae tamen mutatio tantum abest ut rationes nostras conturbet, ut ita demum et suam cuique convenientem orationem reddi et ad fontem totius confusionis perveniri liceat. Nam quum plerique codices versum decimum, qui ejulationes tantum continet, soli Niciae tribuis-

sent, necessarium erat ut proxime sequentia:

> *τί κινυρόμεθ' ἄλλως; οὐκ ἐχρῆν ζητεῖν τινα*
> *σωτηρίαν νῷν, ἀλλὰ μὴ κλάειν ἔτι;*

Demostheni darentur ac sic deinceps alternatis personis colloquium procederet; licet prorsus absonum sit Demosthenem, qui modo auctor illius *ξυναυλίας* fuisset, eandem jam reprehendere, Niciae autem ingenio multo magis conveniat aliquam evadendi viam circumspicere; postquam autem ipso scholiasta auctore intellectum est lamentationes illas utriusque servi communes esse, nihil prohibet quo minus etiam ulterius progrediamur ac prorsus mutata personarum descriptione omnia integritati suae restituamus. Demosthenis igitur illa demum erunt:

> *τίς οὖν γένοιτ' ἄν; λέγε σύ:*

sequentia autem et ipsa longe rectius Niciae dabuntur:

> *σὺ μὲν οὖν μοι λέγε,*
> *ἵνα μὴ μάχωμαι:*

quae donec a Demosthene dici videbantur, satis languidam sententiam praebebant, ut Niciam priorem dicere juberet, ne cum eo altercaretur; nam quod Reiskius annotat Demosthenem, cujus fervidius ingenium fuerit, saepius a Nicia dissensisse et cum eo altercatum esse, ex Siciliensi demum expeditione petitum est, quae Aristophani ante oculos esse tum non poterat; Niciae autem in ore licet eundem sensum prae se ferre videantur, tamen quivis intelligit vel invito illo satis acerbam ambiguitatem con-

tinere, qua Aristophanes bellandi illam detrectationem, quam supra in illo homine cognovimus, admodum perspicue notaverit. Demosthenis contra personam etsi prorsus deceat Niciae, cujus sollers ingenium tota illa factio quam maxime suspexisse videtur, priorem dicendi locum cedere eumque consilio suo praeire velle, tamen idem aeque ac fortasse etiam melius cernetur in sequentibus:

μὰ τὸν Ἀπόλλω 'γὼ μὲν οὔ,
ἀλλ' εἰπὲ θαῤῥῶν, εἶτα κἀγώ σοι φράσω,

ut simul bono animo esse fidenterque sententiam dicere jubeat, cui ipsi deinde orationi hac quoque via apparet nihil rectius subjungi, quam quod jam Niciam respondere supra conjecimus:

ἀλλ' οὐκ ἔνι μοι τὸ θρέττε κ. τ. λ.

Et haec quidem hactenus; minor difficultas est sequentis loci, ubi Nicias ait (v. 30):

κράτιστα τοίνυν τῶν παρόντων ἐστὶ νῷν,
θεῶν ἰόντε προσπεσεῖν ποι πρὸς βρέτας,

quibus religiositatem illius [47]) notari in propatulo est; licet enim nihil superstitionis contineatur in eo quod deos precibus adiri vult, ac profecto iniquius agere poëta videatur, qui optimo viro in ipsis rerum adversitatibus pietatis constantiam expro-

---

47) Plut. V. Niciae c. 4: *σφόδρα γὰρ ἦν τῶν ἐκπεπληγμένων τὰ δαιμόνια καὶ θειασμῷ προσκείμενος, ὥς φησι Θουκυδίδης:* vide Thucyd. VII, 50, coll. 86: *ἥκιστα δὴ ἄξιος ὢν ἐς τοῦτο δυστυχίας ἀφικέσθαι διὰ τὴν νενομισμένην ἐς τὸ θεῖον ἐπιτήδευσιν.*

bret [48]), tamen ignavi hominis erat statim dejecto animo ad deorum aras confugere, ubi sua sibi manu atque ingenio suppetias ferre posset, utque postea in illa funestissima clade Siciliensi apparuit [49]), multum ejus haesitantia ac trepidatio a superstitione materiae accepit; neque illud negligendum est, quod in tanta cultus divini ostentatione facile videri potuit religionem tantum ambitioni vel avaritiae vel ipsi ignaviae suae congenitae praetexere pietatemque non veram sed adscititiam atque fucatam gerere, praesertim quum ejus generis homines, ut fere fit, inter familiares habuisse videatur, quorum invidiam in ipsum transire consentaneum erat [50]). Affectationis certe species haud scio an nostro quoque loco deprehendatur in usu vocabuli *βρέτας*, quod quamvis tragicis poëtis, imprimis Aeschylo atque Euripidi, admodum usitatum, tamen a vulgari sermone prorsus alienum erat [51]), idque etiam Demosthenis responsum declarat, quem Ari-

48) Neque enim aliter explicari potest dicterium illud v. 34:

ὅτιή ϑεοῖσιν ἐχϑρός εἰμ'. οὐκ εἰκότως;

quod quamvis longe alio sensu imitatus esse videtur Cicero in Pison. c. 25: *Dii, ut noster ille divinus dixit Epicurus, neque propitii cuiquam esse solent neque irati. — Non facies fidem scilicet, quum haec disputabis; tibi enim et esse et fuisse videbit deos iratos.*

49) Thucyd. VII, 50; Plut. V. Nic. c. 23 et de superst. c. 7, p. 169 a.

50) Talis fuisse videtur Diopithes, qui *Νικίου ἑταῖρος* appellatur apud schol. Equ. v. 1085, Aristophani autem identidem fanaticae superstitionis atque arrogantiae sacerdotalis poenas dat; quo de argumento egregie disseruit Droysenius in comm. de Hermocopidis in Welckeri Mus. Rhenau. T. III, p. 180. Alius erat Hiero, *ὁ μάλιστα ταῦτα συντραγῳδῶν καὶ συμπεριτιϑεὶς ὄγκον αὐτῷ καὶ δόξαν*, ut ait Plut. V. Niciae c. 5, quamquam de eo homine nihil praeterea constat; conf. Osann. Beiträge zur Gr. u. Röm. Lit. Gesch. Darmst. 1835, T. I, p. 80 sq.

51) Poll. onom. I, 7: *βρέτας δὲ καὶ δείκηλον οὐκ ἔγωγε προςίεμαι.* Apud Aristophanem

stophanes adeo ignarum illius vocis finxit [52]), ut eam ne repetere quidem recte possit, sed balbutientis instar syllaba auctiorem proferat:

ποῖον βρέτεττας; ἐτέον ἡγεῖ γὰρ θεούς;

unde tamen nolim de Demosthenis quoque moribus conjecturam fieri, quasi eum deos negasse poëta his verbis indicare voluerit; quippe si quo alio in loco hic aliquid coronae datum esse videtur, semperque tenendum est, duplicem harum personarum naturam esse, ne serviles earum jocos ad ingenia ipsarum existimanda transferamus. Multo facilius in sequentibus bibacitatis nota, ut supra jam monui, in verum Demosthenem convenisse possit; quae tamen tantum abest ut ei vitio vertatur, ut hic quoque Niciam potius in contrario reprehendi videamus (v. 89):

ἄληθες, οὗτος; κρουνοχυτρολήραιος εἶ·
οἶνον σὺ τολμᾷς εἰς ἐπίνοιαν λοιδορεῖν;

neque veri absimile est, si ingenium ejus triste hominumque fugax reputamus [53]), jejunitate eum potius quam vinositate peccasse; quapropter etsi nihil certius de hac re apud antiquos inve-

---

quae exempla exstent ad imitationem sublimioris sermonis composita esse recte monet G. Dindorfius in novo Thesauro Stephan. T. II, p. 411.

52) Similis locus est Nubb. v. 1288: *τουτο δ' ἔσθ' ὁ τόκος τί θηρίον;* ad syllabae autem *παρολκὴν* quod attinet, quam scholiasta quoque ludentis esse agnoscit, quo magis unica forma est, eo certior mihi codicum lectio esse videtur.

53) Plut. V. Nic. c. 5: *οὔτε συνεδείπνει τινὶ τῶν πολιτῶν οὔτε κοινολογίαις οὔτε συνδιημερεύσεσιν ἐνέβαλλεν ἑαυτὸν οὐδ' ὅλως ἐσχόλαζε ταῖς τοιαύταις διατριβαῖς . . . . δυςπρόσοδος ἦν καὶ δυςέντευκτος οἰκουρῶν καὶ κατακεκλεισμένος.*

niatur, tamen hanc quoque lineam addere licebit imagini, quam Aristophanem in illo describendo in animo habuisse conjicimus. Jam vero quo propius ad insidias Paphlagoni struendas acceditur, eo illustrior ejus trepidatio ac segnities in ulciscendo inimico apparet: quem etsi non minus ipsius quam Demosthenis intersit quoquo modo deturbari, adeo tamen expavescit, ut vel illud operae, quod Demostheni in eo negotio praestat, mirum accidere nobis possit, nisi in hoc ipso obsequio imbecillitatem ejus agnoscamus, qua voluntatem alterius etiam invitus exsequi cogatur, donec aliquam aufugiendi occasionem inveniat. Et primum quidem impense sibi gratulatur, quod clam sibi vinum domo surripere contigerit (v. 101):

ὡς εὐτυχῶς, ὅτι οὐκ ἐλήφθην, ἔνδοθεν
κλέπτων τὸν οἶνον —

deinde iterum introire jussus ad furanda Cleonis oracula obtemperat quidem, sed ut verbis ipsis servile tantum obsequium declaret [54], veram animi sui sententiam mussitando satis prodat (v. 111):

ταῦτ', ἀτὰρ τοῦ δαίμονος
δέδοιχ' ὅπως μὴ τεύξομαι κακοδαίμονος:

postremo reperto isiciario, quum jam in eo sit ut hunc Cleoni opponant, callide se communi consilio subtrahit Demosthenemque solum cum illo relinquit, nec, si quid ego video, unquam postea

54) Conf. Vesp. 142: *ταῦτ' ὦ δεσπότα.* Pac. 275.

in scenam redit. Quod enim ait Cleonem se observare velle (v. 154):

ἐγὼ δ' ἰὼν προσκέψομαι τὸν Παφλαγόνα,

post ea quae huc usque de ingenio hominis disputata sunt, quivis intelliget praetextum tantum esse abeundi, ne si quid acciderit una cum illis deprehendatur; at quaeso num veri simile est vel Niciam, qui jam in apparatu certaminis aufugisset, ad ipsum certamen sua sponte rediisse, vel Aristophanem, qui subito illo discessu mores ejus insignius descripsit quam si per totam fabulam loquentem atque agentem eum proposuisset, artificii hujus vim adeo ipsum infregisse, ut eundem mox rursum tamquam otiosum spectatorem in scenam reduxerit? Mihi quidem non videtur, idque etiam superius significabam (p. 4), quum adventitiam tantum Niciae personam esse dicerem; nunc, ut eodem redeat disputatio unde exorsa est, accuratius explicandum restat. Omnium autem facillime ita expediri posse videtur, ut Cratini institutum recordemur [55]), quem constat histrionum numerum in comoediis quoque ad tragicorum exemplum restrinxisse, ne quarta loqui persona laboraret; quod si mox isiciarius, Cleo, ac Demosthenes simul in scena versantur, Niciae ne locum quidem relinqui apparet; utque concedam Aristophanem haud raro legem illum migrasse videri, id ipsum tamen non licenter sed ratione

---

55) Anonym. de comoedia p. XIII Kust.: *ἐπιγενόμενος δὲ ὁ Κρατῖνος πρῶτον μὲν κατέστησε τὰ ἐν τῇ κωμῳδίᾳ πρόσωπα μέχρι τριῶν, συστήσας τὴν ἀταξίαν:* conf. Kanngiesser die alte kom. Bühne in Athen p. 114; Lucas de Cratino et Eupolide p. 18; Meineke quaestt. scen. spec. I, p. 19.

atque consilio fieri necesse erat. Difficillima utique est quaestio de *παραχορηγήμασιν*, ut appellabantur [56]), quum in universa poësi scenica Graecorum, tum apud Aristophanem, quem saepissime iis usum esse videmus, ac digna profecto quae philologi hominis acumine illustretur; nobis eam hoc loco vix attingere, nedum absolvere licet; illud tamen ex veterum testimoniis colligi arbitramur [57]), eas ipsas quasi adventitias personas dici posse, quae sive in fabulae initio sive in media actione interpositae eam tamen semper rationem servaverint, ut in una tantum scena certum in finem producerentur, a reliqua autem actione prorsus alienae manerent. Atque hac quidem ratione Niciae quoque personam *παραχορήγημα* fuisse patior, quae si uni ex tribus actoribus danda sit, soli Aristophani conveniret, quem mox Cleonis partes sustinuisse novimus; Populi enim personam qui suscepit, eundem fuisse consentaneum est qui ab initio Demosthenem egisset, isiciarius autem, quem *δευτεραγωνιστήν* fuisse opinor, a principio usque ad finem in scena versatur; multo igitur aptius, quam ipsi primarum partium actori, adventitio alicui tribuetur, sed ut hunc, quemadmodum natura ejus ferebat, primordiis tantum fabulae inserviisse, a reliquis ejus scenis prorsus abfuisse statua-

56) Poll. onom. IV. 110: *εἰ δὲ τέταρτος ὑποκριτής τι παραφθέγξαιτο, τοῦτο παραχορήγημα ἐκάλουν.*

57) Conf. schol. Aristoph. in Pace v. 117, ubi licet in libris legatur *παραχώρημα*, tamen idem vocabulum restituendum esse patet: *τὰ τοιαῦτα δὲ παραχορηγήματα καλοῦσι, οἷα νῦν τὰ τοιαῦτα παιδία ποιεῖ καλοῦντα τὸν πατέρα, εἶτα πρὸς οὐδὲν ἔτι τούτοις χρήσεται.*

mus. Externa vero argumenta, quibus etiam nuperrime Rankius [58]) Niciae praesentiam sequenti actioni vel ultra quam per codices liceat vindicare conatus est, aut admodum levia aut omnino falsa sunt. Certe si codices sequamur, unum tantum praeterea versum Niciae tribuere oporteat, qui Cleonis adventum proxime antecedit (v. 234):

οἴμοι κακοδαίμων, ὁ Παφλαγὼν ἐξέρχεται,

quem qui illius nomini adscripserunt, ita sibi rêm informasse videntur, ut Nicias qui in excubiis fuerit contra Paphlagonem, ubi hunc expergefactum domoque egredientem videat, et ipse foras sese projiciat proque solito suo pavore tumultuetur; at si recte supra disputavimus, haud scio an hunc quoque versum melius ad isiciarium transferamus, quem ex Demosthenis verbis intelligimus subito illius belluae adspectu perterritum fugam capessere, neque duobus amplius hominibus in scena adstare dualis numerus ostendit, quo Cleo utitur: *οὔτοι μὰ τοὺς δώδεκα θεοὺς χαιρήσετον κ. τ. λ.*, ut non appareat quo consilio poëta Niciam tam exiguo intervallo et redeuntem et rursus digressum facere potuerit. Elmslejo enim [59]), qui in sequentibus etiam integros tres versus, qui vulgo Demostheni tribuuntur, Niciae esse conjecit

58) In comm. de vita Aristoph. p. 399 sequ.

59) In the classical Journal n. XI, p. 223: *Before I quit these three verses of Aristophanes, I must observe, that they ought rather to be attributed to Nicias than to Demosthenes. The mention of the δῆμος or parish called Περγασαὶ is not made at random. It appears from Athenaeus, that Nicias was Περγασῆθεν.*

(v. 319 — 321):

νὴ Δί κἀμὲ τοῦτ᾽ ἔδρασε ταὐτὸν ὥςτε καταγέλων
πάμπολυν τοῖς δημόταισι καὶ φίλοις παρασχεθεῖν·
πρὶν γὰρ εἶναι Περγασῆσιν, ἔνεον ἐν ταῖς ἐμβάσιν,

non intelligo quomodo Rankius assentiri potuerit neque viderit Niciam illum Pergasensem, cujus bona Athenaeus [60]) Heraclide Pontico auctore parasitorum duorum praedam fuisse narrat, toto coelo diversum a nostro esse oportere, quem nec tradidit quisquam divitias suas ante mortem perdidisse, nec veri simile est in eo vitae genere, quod Plutarchus descripsit (vid. sup. not. 53) parasitos aluisse; quare multo facilior conjectura erat, distinguendi causa illius nomini pagi cognomen adjectum esse, quam ut propter fortuitam similitudinem nostrum hominem Aristophani alieno loco obtrudere liceat. Scholiastae autem verba, qui Cleonis adversarios communi appellatione *τῶν περὶ Νικίαν* comprehendit [61]), adeo nihil ponderis habent, ut mirer acerrimi judicii virum quidquam iis tribuere potuisse; scholiastas non miror Niciae et Demosthenis nomina confudisse, qui quum de utriusque ingenii differentia ne hilum quidem odorati esse vide-

---

60) Athen. XII. 52, p. 537 c; conf. Perizonius ad Aelian. var. hist. IV, 23, qui recte jam monuit hunc Niciam longe alium fuisse ab illustri illo duce Atheniensium in Sicilia.

61) Schol. ad v. 480: *τὸ μὲν Κλέωνος τῆς θυμέλης ἐπεξῆλθε πρόσωπον . . . . . οἱ δὲ περὶ τὸν Νικίαν τῷ ἀλλαντοπώλῃ παρακελεύονται γενναίως ἀντιστῆναι πρὸς αὐτόν.* De ipsa loquendi formula *οἱ περὶ* conf. Held. ad Plut. V. Timol. p. 387 et Lehrsius in Zimmermanni Zeitschr. für die Alterthumswiss. 1833 m. Majo, p. 434.

antur, etiam partes utriusque accurate distinguere nequibant. Quamquam facile apparet sententiam nostram cum Rankii judicio omnino congruere non posse, qui licet et ipse viderit, quod in propatulo situm est, Niciam ut apud alios comicos ita apud nostrum propter nimiam timiditatem irrideri et perstringi, adeo tamen leviter eum locum tractavit, ut ei in tanta commentationis suae verbositate vix dimidium pagellae impenderet, aliis autem de rebus, ut de pace componenda, cum Nicia poëtam consensisse subjungeret [62]. At hercle si quae alia haec causa ostendit, quod apud Terentium est, duo quum faciant idem, non esse idem; ac sicut in hoc ipso Equitum argumento, quamvis in Cleonis odio consenserint, tamen longe diversam utriusque sententiam fuisse apparet, eandem rationem etiam de pace conciliandа inter eos intercessisse arbitror, ut Aristophanes patriae tantum gratia pacis studiosus esset, Niciam contra eam quum sua tum Lacedaemoniorum causa expetere existimaret. Quod nisi ita fuisset, profecto mirandum foret, quomodo neque in Acharnensibus, neque in Pace, neque ubi praeterea induciarum commendatio exstat, Niciae studia praedicarit, in Equitibus autem vel Archeptolemum quam illum appellare maluerit [63]; utque concedam Aristophanem juvenili ardore atque indignatione mas-

62) In comm. cit. p. 413.

63) Equ. v. 801: *Ἀρχεπτολέμου δὲ φέροντος τὴν εἰρήνην ἐξεσκέδασας*: quo de homine vide sup. not. 9.)

cula abreptum boni senis tarditatem et cautelas justo iniquius taxasse atque in deterius interpretatum esse, ingeniumque ejus magis ex specie externa hominumque suspicionibus quam ex interiore notitia existimasse, nos tamen, quibus non de ipsius Niciae virtute vel vitiis sed de ea illius imagine quaestio est, quam Aristophanes secutus esse videatur, aliter judicare nunc non possumus. Probe autem tenendum est, non duas ut vulgo creditur, sed minimum tres civium Atheniensium partes fuisse, quas egregie sic Euripides distinxit [64]:

τρεῖς γὰρ πολιτῶν μερίδες· οἱ γὰρ ὄλβιοι
ἀνωφελεῖς τε πλειόνων τ' ἐρῶσ' ἀεί·
οἱ δ'οὐκ ἔχοντες καὶ σπανίζοντες βίου
δεινοὶ, νέμοντες τῷ φθόνῳ πλεῖον μέρος,
γλώσσαις πονηρῶν προστατῶν φηλούμενοι·
τριῶν δὲ μοιρῶν ἡ'ν μέσῳ σώζει πόλεις,
κόσμον φυλάσσουσ' ὅντιν' ἂν τάξῃ πόλις:

quarum si primae, ut par est, Niciam, alteri Cleonem, tertiae Aristophanem assignamus, facile intelligitur, quomodo ambo in eodem adversario convenire, neque tamen in omnibus rebus idem de re publica sentire potuerint. Illud potius quaeri posse

64) Suppl. v. 230; conf. Plat. de re publ. VIII. 16, p. 564 c: *τριχῇ διαστησώμεθα τῷ λόγῳ δημοκρατουμένην πόλιν, ὥςπερ οὖν καὶ ἔχει κ. τ. λ.* et Aristot. Politic. IV. 9. 3: *ἐν ἁπάσαις δὴ ταῖς πόλεσίν ἐστι τρία μέρη τῆς πόλεως, οἱ μὲν εὔποροι σφόδρα, οἱ δ' ἄποροι σφόδρα, οἱ δὲ τρίτοι οἱ μέσοι τούτων· ἐπεὶ τοίνυν ὁμολογεῖται τὸ μέτρον ἄριστον καὶ τὸ μέσον, φανερὸν ὅτι καὶ τῶν εὐτυχημάτων ἡ κτῆσις ἡ μέση βελτίστη πάντων.*

videatur, cur neque in Equitum fabula neque alibi unquam divitias Niciae respexerit, praesertim quum ipse in Pluto eam harum cum ignavia cognationem posuerit, ut nisi vel prima illius fabulae editio mortem Niciae aliquot annis sequeretur, neminem magis in animo habuisse censendus sit (v. 202:

νὴ τὸν Δί᾽ ἀλλὰ καὶ λέγουσι πάντες ὡς
δειλότατός ἐσθ᾽ ὁ Πλοῦτος —

cui alter respondet v. 207:

εἶτ᾽ ὠνόμασέ μου τὴν πρόνοιαν δειλίαν)

at hoc *ἀπόρημα* in tanto fabularum ejus naufragio ne poni quidem recte, nedum solvi potest. Nobis certe sufficiat ex reliquiis quae exstant sententiae ipsius vestigia conquisisse; quae licet in Nicia non magis quam in Socrate judicium nostrum dirigere aut immutare debeat, tamen eo minus contemnenda erit, quo aegrius Aristophanem dissensum a Nicia tulisse consentaneum est.

Jam vero redeamus ad id cujus causa ipsa haec proludendi opera suscepta est. Instat enim in d. xx Augusti

SERENISSIMI PRINCIPIS ELECTORALIS, CONSORTIS REGIMINIS HASSIAE, DOMINI NOSTRI CLEMENTISSIMI,

FRIDERICI GUILIELMI

natalis, pie et cum summa divinae providentiae veneratione celebrandus, cujus diei splendorem vir illustrissimus et clarissimus, magnificus Academiae Prorector,

FRIDERICUS REHM,

PH. D. AA. M. HISTOR. P. P. O.

oratione in auditorio majori habenda illustrabit. Hujus igitur sacri caerimoniis ut frequentes adesse, oratorem publice constitutum audire, bonaque vota concipienti favere velint ***Professores omnium ordinum, summe venerabiles, illustres et consultissimi, experientissimi, excellentissimi, quotquot praeterea in quocunque honoris ac dignitatis gradu constituti bene Academiae cupiunt et bonis artibus favent, cives denique, Minervae sacris operantes, ornatissimi atque suavissimi,*** ea qua par est observantia oro rogoque.

Marburgi pridie Idus Augusti MDCCCXXXV.